



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. LIII. De Qvodam miraculo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Conradus Langr. Thur. V. Mag. General. Ord. Teut.

Poppo de Osterna II. Magister Provincialis in Prussia.

viris ex parte adversa occurrentibus unum militem occiderunt, alii XIX. viso vexillo fratrum fugerunt, & ipsis cum fuga venientibus ad exercitum Svantepolci omnes terga verterunt, quorum pauci ad castrum venientes salvati sunt, alii omnes aut submersi sunt, vel in ore gladii ceciderunt. Sicque de populo Pomeranorum (b) mille & quingenti viri in illo die à fratribus sunt occisi. De qua victoria fratres Deo grates referentes cum maxima præda hostium exultantes in Domino reversi sunt.

ANIMADVERSIONES.

(a) Codex Regiomontanus habet Westherod; Elbingensis Wischerod. Nobilissimus Dominus Zamelius putat legendum Wisstegrod.

(b) Jeroschinus habet mille & quinquaginta.

CAP. LIII.

De

Quodam miraculo.

Hoc tempore quidam de Misna cruce signatus, dum completo peregrinationis suæ voto stetit per annum in terra Pruschia in reditu versus Patriam suam mortuus est in via, cujus filius sollicitus de diuturna Patris absentia, quærens Patrem in Pruschia non invenit, sed cum rediret venit ad quandam villam, ubi Episcopus cœmeterium consecravit, in qua consecratione dum Episcopus (a) aquam benedictam aspergeret super tumulos defunctorum, cujusdam mortui corpus de sepulcro exiliens (b) appodiavit se ad parietem Ecclesiæ, quod primo solus Episcopus vidit, sed tandem oratione impetravit, quod totus populus qui consecrationi interfuit vidit manifestè. Conjuravit itaque

II

Episco-

*Conradus Landgr. Thuring. V. Mag. Gen. Ord. Teut.
Poppo de Osterna II. Mag. Provincialis in Prussia.*

Episcopus illum mortuum, ut diceret quis esset, & quare de sepulcro exiliisset, qui respondit, quod fuisset in terra Pruschiæ alienus per annum, & in reditu mortuus & ibi sepultus, & propter unum agrum quem vicino suo dum vixerat injuste abstulit damnatus fuisset, sed propter votum peregrinationis, ipse Christus, cujus injuriam vindicavit pœnam æternam in temporalem commutavit, ut scilicet in Purgatorio puniretur, quousque aliquis de propinquis suis redderet dictum agrum. Quo facto Episcopus quæsit, si aliquis notitiam haberet ejus? Cui respondit filius, quod ille mortuus esset pater ejus, & promitteret bona fide dictum agrum se redditurum, quo dicto Episcopus jussit dictum mortuum redire ad sepulcrum quod & ipse fecit. Ecce quantam gratiam confert ipse Christus & vivis & mortuis peregrinis, qui vicem ejus dolent in opprobrio suæ crucis & Ecclesiam sanctam ab oppressione infidelium exponendo res & corpora defendere non formidant.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Aquam lultralem primùm instituisse Alexandrum I. Papam, habet Platina in ejus *Vita*. Antiquum ejus aquæ in Ecclesia esse usum cognoscimus ex Euseb. *lib. 10. Hist. Eccl. cap. 4.* Gregor. Nazianz. *Orat. 10.* aliis.
- (b) i. e. applicavit se ad parietem, sive innixus parieti. Vid. Gerhardus Joannes Vossius *lib. III. cap. I. pag. 370.* & *lib. IV. cap. I. pag. 679. de Vitiis Serm. Latini.*

CAP. LIV.

Item de Victoria Fratrum, in qua iterum MD. de Pomerania sunt occisi.

Post.